p. 66.

DISPUTATIO MEDICA

INAUGURALIS

DE

PNEUMONIA.

Benjamin Travers Esqr.
with the best Compliments of
The Author

p. 66.

DISPUTATIO MEDICA
INAUGURALIS
DE
PNEUMONIA;

QUAM

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE REVERENDI ADMODUM VIRI,

D. GEORGII BAIRD, SS. T. P.

ACADEMIAE EDINBURGENAE PRAEFECTI;

NECNON

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU,

ET NOBILISSIMAE FACULTATIS MEDICAE DECRETO;

Pro Gradu Doctoris,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS,

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

THOMAS WILLIAMS,

EX VECTI INSULA,

COLLEG. REG. CHIR. LOND.

SOCIUS,

SOCIET. REG. MED. EDIN. SOCIUS EXTRAORDINARIUS,

NECNON

IN CLASSE REGIA BRITANNICA

CHIRURGUS.

Hic enim breve spatium est, intra quod, si auxilium non profuit, aeger extinguitur. CELSUS, cap. 1. lib. 3.

Kalendis Augusti, hora locoque solitis.

EDINBURGI:

CUM PRIVILEGIO

APUD ABERNETHY & WALKER.

1819.

715130
Том II

LEGE, NO…
KIN…

DOMINAE PERQUAM HONORABILI,

LAVINIÆ,

COMITISSÆ SPENCER,

VIRTUTIBUS PRAECLARAE,

SUMMA OB BENEFICIA IN EUM COLLATA;

HANC DISPUTATIONEM,

QUA DECET OBSERVANTIA,

SACRAT

THOMAS WILLIAMS.

KING'S College LONDON

TOMHB PAMPH·BOX RC106 WIL

Library

WILLIAMS, THOMAS
DISSERTATIO MEDICA
INAUGURALIS DE PNEUMONIA
1814

201096463 6

KING'S COLLEGE LONDON

VIRO ILLUSTRISSIMO,

JACOBO, BARONI GAMBIER,

ORDINIS BALNEI MILITARIS HONORATISSIMI

EQUITI DIGNISSIMO,

NECNON

CLASSIS BRITANNICAE SIGNO RUBRO INSIGNITAE

PRAEFECTO;

HASCE STUDIORUM PRIMITIAS,

PLURIUM BENEFICIORUM MEMOR,

D. D. C.QUE

AUCTOR.

VIRO EXIMIO,

JACOBO SAUMAREZ, EQUITI BARONETTO,

ORDINIS BALNEI MILITARIS HONORATISSIMI

EQUITI,

NECNON

CLASSIS BRITANNICAE SIGNO COERULEO INSIGNITAE

PRAEFECTO,

&c. &c. &c.

HOCCE OPUSCULUM,

ANIMO GRATISSIMO,

OFFERT

AUCTOR.

JOANNI HARNESS, M. D.

SOCIETATIS LINNÆANÆ SOCIO,

&c. &c. &c.

VIRO

HAUD MINUS VIRTUTIBUS, QUAM INGENIO

INSIGNI,

CUI GRATES PUBLICAS ITA LUBENTISSIME PERSOLVIT,

HOC TENTAMEN

SACRUM VULT

AUCTOR.

THOMAE WALLER, M. D.

PORTESMUTHAE

MEDICINAM SUMMA LAUDE FACIENTI ;

NECNON,

ROBERTO BLOXAM, ARMIGERO,

NOVI BURGI,

IN VECTI INSULA,

DEGENTI,

COLLEGIIQUE REGII CHIRURGORUM LONDINENSIS

SOCIO;

VIRIS EI AMICISSIMIS;

HASCE PAGINAS,

OB BENEFIFICIA NUNQUAM OBLIVISCENDA,

DICAT

AUCTOR.

EDVARDO EARL, ARMIGERO,

CURIAE EDINENSIS

AD VECTIGALIA EXIGENDA INSTITUTAE

PRAESIDI;

NECNON,

CAROLO HYDE, ARMIGERO,

LAMITHAE,

IN AGRO SURRIANO,

DEGENTI,

COLLEGII REGII CHIRURGORUM LONDINENSIS

SOCIO;

HANC DISPUTATIONEM

DEDICAT

AUCTOR.

Fieri tamen potest, ut morbus quidem id desideret, corpus autem vix pati posse videatur: sed si nullum tamen appareat aliud auxilium, periturusque sit, qui laborat, nisi temeraria quoque via fuerit adjutus; in hoc statu boni medici est ostendere, quam nulla spes sit sine sanguinis detractione, faterique, quantus in hac ipsa metus sit: et tum demum, si exigatur, sanguinem mittere.

CELSUS, Lib. II. cap. X.

DISPUTATIO MEDICA

INAUGURALIS

DE

PNEUMONIA.

PRAEFANDA.

JAM diu ars Apollinaris in partes duas diducta est: quaedam scilicet morborum genera victu et vitae ratione idoneis, et medicamentis ingestis; alia manu admota, id est, remediis parti exteriori impositis, aut ferramentis adhibitis, curari solent. Illis MEDICI, his CHIRURGI interesse, officium esse fertur. Nuperi vero dubitant, jureque optimo, uti opinor, necne ars medicina-

lis recte hancce acceperit distributionem. Perpauci equidem eorum morborum, qui manum CHIRURGI desiderant, non simul ea auxilia postulant, quae medicina promittit. Res porro *chirurgica* iisdem principiis et legibus, quibus *medica*, nititur. Hisce perspectis, manifestum est antiquos optime ita easdem consociasse, ut iidem viri utramque sequi soliti sint: et recentiores, iis invicem disjunctis, haud parum errasse. Hoc potissimum invicem distant morborum genera, quibus curandis medicina aptatur, ab iis, quae manu et ferramentis, &c. devincuntur, quod illa in partes exteriores, haec in penetralia corporis, nec raro in viscera, quae officiis vitae flammae alendae necessariis perfunguntur, incumbunt. Sive illis, sive his inflammatio, uti exemplo utar, contingat, utrisque actio vitiosa eadem existit, notae sunt consimiles, curandi ratio eadem. Quod ad curationem, eadem remediorum genera utrisque conveniunt: illae tamen, si opus sit, excidi aut ferramentis secari, aut admota medicamina accipere, possunt: haec contra, prae situ et muneribus, nulla istorum impune subeunt.

Nullum fortasse omnium valetudinis adversae generum luculentius quam *Aneurisma* sententiam jam propositam, nimirum artem medendi non rite in duas partes diduci, comprobare videtur. Medicamentis enim et victu unicis innitendum, quoties arteria magna aliave ei propinqua eo morbo vitiatur: quod si arteria *poplitea* implicatur, siquidem citra vitae discrimen deficere potest, femore inciso, arteriam ligare solemus. Haec mihi in mentem venerunt de pulmonis inflammatione quaedam scripturo: qua nulla omnino saepius mortales adoritur, acriorem medendi rationem flagitat, aut potius studium omnium artis Machaoniae peritorum sibi vindicat. Eoque potius impulsus sum, qui hoc argumentum eligam, quod valetudini nautarum *chirurgus*, ut aiunt, praepositus ingentem multitudinem eo malo tentatam cognoverim.

Nullus omnium morborum, quibus genus humanum patet, citiori pede ad fatum ruit, nullus exitiosior, quam pulmonis inflammatio: nullo urgente, maturius acriusve agendum. Tanto

enim imperio hoc viscus valetudinem regit, tantique interest, idem actione integra et expedita perfrui, ut intra spatium perexiguum, imo vero horam unicam, ni medicus ope summa renitatur, ad mortem festinare possit. Simul atque inflammatio pulmoni aliisve partium interiorum radices quasi altius infixerit, id quod cito evenire solet, ocyus ocyusque increscere videtur; adeo ut ipsissima medicinae auxilia, quae inter principia concessa eam debellassent, demum frustra ejus impetui obnitantur. Illud porro scire licet, quo jam saepius inflammatio partem affecerit, eo facilius eandem renasci, eo pertinaciorem et acerbiorem saevire, eoque validius remediis praesentissimis obstare. Nec minimi refert, quando, nimirum citius an serius, inflammatio proposita subigatur. Si enim aeger natura ad *Phthisin pulmonalem* sit proclivior, facile in eam labitur, hac inflammatione accensa: eoque saepius et facilius, quo jam diutius haec perstiterit et processerit. Optime equidem hic citare licet, quae cecinerit immortalis SHAKSPEARIUS:

> "If it were done, when 'tis done, then 'twere well
> "It were done quickly."

Nullis crebrius *Pneumonia* vexatos curare, quam medicis classi Britannicae praepositis contigit: nautae, prae officiis et negotiis, quae indies adire consuerunt, coelo procellis et imbribus turbato objecti, quam maxime huic morbo patent. Medici juniores navales minus quam seniores rationibus inanibus vetustis irretiti, earumque rerum, quas ipsae curationes ostendunt et docent, servantiores, longe valentioribus remediis utuntur, multoque plures inflammatione laborantium ad salutem perducunt. Neque ullus dubito usu doctus, quin ex omnibus viscerum inflammatione correptis, multo pauciores ab anno MDCCCV^TO usque ad hunc diem, quam olim, succubuerint, aut in alios morbos, sublata inflammatione, inciderint. Non solum equidem medici navales et militares, verum etiam quorum est populi saluti consulere, nuper acriorem et feliciorem inflammationis curandae rationem secuti sunt. Multi ex hodiernis tantam sanguinis molem, vena incisa, detrahere consuerunt, idque summo profectu, quanta paucis abhinc annis missa vel clarissimos et rei medicae peritis-

simos perterruisset. Neque vero novum est, venas inflammato viscere tortis, aut febrientibus vacuefieri. Fabricius ab Aquapendente, et plerique, qui iisdem temporibus florerent, hoc remedio potissimum utebantur.

Quum saepenumero mihi contigit inflammationem pulmonis acerbissimam vidisse inter medicinam faciendam, necnon multis eximiis medicis interesse, qui eandem usu quam optime perspexerint, satius duxi hunc morbum argumento seligere, quam aliud quodvis adversae valetudinis genus, de quo non nisi alienis fontibus excerpta proponere liceret. Haud sane nescio viros clarissimos de *Pneumonia* conscripsisse: res tamen utiles, graves et cognitu dignissimae, vix sine fructu iterari possunt.

Ab antiquissimis temporibus medici malum propositum notarunt et lucide descripserunt. Alia atque alia accepit nomina, pro parte pulmonis inflammata. Ea voce, "*Pleuritis*," medici usi sunt ad *pleuram* costarum; "*Peripneu-*

monia," ad membranam pulmoni circumjectam, ejusque telam reticulatam inflammata, designanda. Cum vero, absumptorum cadaveribus incisis, hasce saepius opinione vetustiorum convenire manifestum est, de utraque simul agere in animo est: scilicet de *Pneumonia*, veluti ambas complectente, scribere.

Cullenus *Pneumoniam* classi *Pyrexiae*, et ordini *Phlegmasiae* subjectam, ita definivit: "Pyrexia; dolor in aliqua thoracis parte; respiratio difficilis; tussis."

DE SIGNIS.

Haec inflammatio, instar aliarum, ex febre incipere consuevit: artus nempe inhorrescunt, et languent, et summa cutis praeter naturam calet. Dolor acutus et pungens alicubi pectoris cruciat; modo tamen hebetior, haud citra quendam

gravitatus sensum. Frequentius dolor sextae aut septimae costae insidet, mediaeque parti inter os pectoris et dorsi spinam ; et subinde ad illud fere pertinens. Aliquando dolor a latere ad scapulam aut claviculam ascendit ; alias ad dorsum inter humeros fertur ; nec raro ossi pectoris subjacet ; et sedem pristinam magna ex parte vel prorsus dimittit. At vero longe saepius uni loco infixus manet : interdum imum pectus occupat, ita ut jecur aut quodvis aliud viscerum abdominis inflammari visum fuerit.

Literis traditum fuit quibusdam, perpaucis sane hoc morbo vexatis dolorem omnino defuisse. Quod de percelebri viro, Mirabeavo, praedicatur. Multo pluribus aegrotantium dolor latus dextrum, prae laevo infestat. Dolor et febris indicia simul fere accedunt : nonnunquam vero ille haec antecedit. Riverius retulit cuidam dolorem integrum diem prius cruciasse, quam febris inceperit. Mihimet, ad classem Britannicam medico, compluries accidit nautas hoc dolore ex improviso correptos novisse, vel inter navem gubernandam, vel navigium remi-

giis dirigendum; aliave munera exequenda. Hoc praesertim hyeme, mareque Balticum pererrans notavi. Dolorem istum subitaneum nautae vernacule describunt esse, "a violent "stitch in the breast:" qui interdum eo usque anxit, ut ingentem clamorem ediderint, cruciatu oppressi. Febrem et tussim quam celerrime supervenire cognovi.

Ineunte morbo, febris saepe levissima exardet; pluresque dies tantuli est, ut aeger ad solita negotia adeunda satis valeat. Plerisque tamen febris et reliquae notae inter ipsa principia saeviunt; plerumque febris subest ardens, qualem nempe CULLENUS SYNOCHAM nominat: subinde profecto TYPHUM refert; vel, uti medici vocant, *Typhoidea* est. Modo *Pneumonia* febre hujusmodi instructa vulgaris grassata fuit, insidiataque et quasi celata vel scientissimos fefellit. Annis circiter abhinc undecim, paulo postea quam medicus classem regiam iniissem, febris *Typhoidea* inflammationi adjuncta summa vi erumpebat, plurimis nautarum correptis, apud duas naves bellicas tunc temporis

Gothenburgae commoratas. Medici viribus artuum lapsis signisque inflammationis obscuris decepti, *Typhum* pestilentem urgere judicabant; et, ni fallor, contagium nave Danica nuper capta exortum habebant. Tam luctuosa et exitiosa nautis haec valetudo fiebat, ut nostrates opem medicos Gothenburgenos petierint; qui *Pneumoniam* illico exardere statuebant.

Aliquando, at rarius, febris intermittens hanc inflammationem comitatur.

Spirandi difficultas jam ineunte hac inflammatione accedit; at saepe non nisi diebus pluribus exactis, acerbissima vexat. Dolor alte et graviter inspirando acuitur; nec aeger sine cruciatu insigni in latus affectum cubat. Subinde equidem dolor acutior in latus sanum decumbenti accidit: quibusdam porro non nisi supinis jacere licet. Saepe spiritus eo usque perturbatur, tantumque dolorem movet, ut homo truncum corporis antrorsum flectere cogatur: quo ventris musculis laxatis, septum transversum facilius munere fungatur: corpore tamen vel erecto, vel prope ad eum positum accedente,

respiratio expeditior fit. Spiritus trahitur et emittitur citius quam natura fert; VAN SWIETENUS quoque anhelitum praeter consuetudinem calere notavit.

Tussis nunquam non quaesitissimam infert molestiam, initio sputi fere expers: at malis increscentibus, pituita exscreari coepit, tenuior aut crassior, variique coloris; aliquando cruenta. Inter ipsa principia in terris aestuosis flava et opaca expuitur.

Quidam nihil omnino ab initio ad finem hujus morbi usque extussiverunt; quod praesertim perituris contingit. Aliis sputum initio satis facile, dein subito evanuit: quod semper metum jure incutit. Denique, tussis interdum defuisse traditur; maximeque puerperis, teste HAMILTONO, artis OBSTETRICAE professore.

Ingravescente inflammatione, vultus rubescit et turget, vasa membranae oculi *adnatae* intumescunt, et caput simul dolet. Nonnullis genae et labra purpurascunt: aeger simul irrequietus membra jactat, parumque dormit.

Arteriae valide, dure, et crebrius quam ex consuetudine saliunt, praesertim dolore acuto contorquente: modo inaequaliter, molliter et languidius moventur; idque praecipue, jam inveterascente inflammatione. Nonnullis arteriarum motus inter initia tardus et imbecillus, venis arte vacuefactis, celerior et fortior est factus. Nec defuerunt aegri, quibus arteriae lentius et tardius quam integra valetudine micuerint, caeteris simul notis instans periculum insignientibus, febreque insigniter ardente. Dolore hebete, pulsus arteriarum pleni et molles esse consuerunt. Alvus fere pigra parum excernit; at interdum fluit. Urina principio diluta effluit; versus finem non raro rufa; ex eaque decidit rubrum aut fuscum lateribus tritis non dissimile.

Sanguis, vena incisa, detractus firmior apparet, et tunicam istam corio similem exhibet. Vires hac inflammatione tentatis mature labefieri incipiunt. Tam cito equidem pede, tamque vehementer progreditur, ut nisi medicus ope summa et tempestive renitatur, aut ipsam vitae flam-

mam protinus extinguat, aut aliorum malorum vix minus exitiabilium genitrix fiat.

Si *Pneumonia* idoneis debelletur remediis, inclinari fere coepit die tertio, quinto, septimo, ullove tempore inter hos medio: multo tamen diutius traxit; subindeque vel die quarto decimo, aut quinto decimo in salutem desiit. Plerique ante diem septimum aut moriuntur, aut revalescere incipiunt.

DE FINIBUS.

INFLAMMATIO multa sibi praefert, quae vires naturae medicatrices et conservatrices exhibent. Nihil ad eam pertinens clarius hasce saluti consulere indicat, quam ADHAESIO; quae minus recte inflammationis finis, quam actio comitatrix, nominatur. Haec utilitati multiplici inservit; et potissimum, membranis aut visceribus natura solutis, aut invicem disjunctis, vinculo

novo conglutinatis, prohibet ne pus aliusve latex in varias partes, quibus multum noceret, profluat. Non raro membrana, quae pulmonem circumdat, ita cum *pleura* costarum propria committitur: pari ratione jecur septo transverso adnecti potest. Modo intestina cohaerent; modo *omento*, modo *peritonaeo*, quod ventris parietes obtegit, junguntur. Illud quoque admirari oportet, viscera inter haec officiis satis bene fungi, hominemque valetudine haud incommoda perfrui. Dignum est notatu actionem ADHAESIONIS genitricem praesentem bono indicio semper per se habendam esse: non solum enim vetat ne humor in penetralia fundatur, graviter laesurus; verum etiam usu docemur eandem non nisi corpori vegeto bonique habitus accedere: et deficientem fieri causam praecipuam, cur inflammationes lentae frequenter in ulcera lethalia abeant.

RESOLUTIO sua sponte aliquanto rarius supervenit. Inflammatio enim alicubi, et maxime visceris cordi vicini, simul atque accenditur, per se incitato motu increscere pergit, dum eum

gradum attigerit, quo vasa, mutata actione, pus secernere incipiant. Aliquando, *pleura* costarum affecta, *empyema* nascitur: ea nempe membrana pus, uti conjicio, haud secus atque glandula aliqua suum liquorem, secernit. Quod si inflammentur tela ipsius pulmonis reticulata ejusdemque membrana, actio, quam prosequor, *vomicam* facit. *Vomica* est capsula pure referta; ideoque duplici actione gignitur: scilicet, *fibrina organica* secreta, unde capsula enascitur; qua porro omnis ADHAESIO continetur: necnon pure intus secreto. Abscessuum est omnium prominere, et ad exteriora spectare; id est, vel ad summam cutem, vel ad quandam superficiem interiorem iis proximam, sive membrana *mucosa*, sive *serosa* obductam. Hinc *vomicis* diruptis, pus saepe in animae meatum funditur; quippe qui iisdem conterminus est. Si *vomicae* plures aut grandes sint, exinde homo derepente strangulari potest. Pessimum est autem, si pus ibi inhaereat, ubi exitus ei non patescit: quod de *empyemate* praedicare licet: cui frequenter pus non nisi scalpelli ope subducendum est.

Lugendum est pulmonem, rupta *vomica*, et exputo vel ejecto pure, non illico redintegrari; sed induratum, parumque officio exequendo habilem, superesse.

Inflammatio pulmonis peracerba in cruorem intus effusum crebro desiit: Hic modo in cellulas spiritales, modo in eas, quas tela reticulata pulmonis efficit; modo inter *pleuram* pulmonis et alteram costarum propriam, fluit. Hic exitus luctuosissimus est existimandus.

Si cruor *Dysentericis*, vasis rosis aut ruptis, in intestinum profluit, per alvum excerni potest. Quod si idem pulmoni evenit, via, qua sanguis ejiciatur, minus facilis patescit: huc accedit eum eventum et inflammationem acerbam praegressam respirationem impedire. Mortem igitur saepe expectare licet, partim ob animae canales obturatos, partim ob vires incitatione, cruore intus fuso, venisque arte vacuefactis contritas.

Phthisis Pulmonalis crebro *Pneumoniae* supervenit: tam insidiari potest, ut non nisi annis

pluribus post hanc inflammationem, uti videtur, finitam appareat. Plurimos nautarum, *Pneumonia* prius male curata, in *Phthisin* incidere cognovi.

Fieri potest, ut pulmonis inflammatio pituita multa in fistulas spiritales secreta finiatur. Ea corporis indoles, quae actioni pituitae secretrici favet, non inflammationi alendae apta est: vel, uti alias loquar, ille humor secretus et exscreatus RESOLUTIONEM arguit. Medicamenta sputi moventia, aut certe quaedam ex iis, multum et quam celerrime valent. Sputum puris modo *Pneumoniam* finit: vel abscessu dirupto, et pure in cavum pectoris effluente, *empyema* exoritur.

Vir ingeniosus* mihi amicissimus, ita exemplum *Pneumoniae* cruore effuso exceptae descripsit.

* J. R. Scott, Armiger, medicus ad classem regiam, de Botania Edinburgi praelector, necnon Societatis Linnaeanae socius.

Anno MDCCCXI ineunte, apud navem regiam Britannicam " Triton" anchoris in flumine Tago nixam, valetudinarium nautis aegrotantibus accipiendis accommodatum, quidam nauta gravi et multiplici inflammatione laboraverat: venisque non prius satis vacuefactis, quam ad navem advenisset, cito periit; neque remedia, quae medici navales praeceperint, aliquid juverunt. Paucis diebus post adventum, quaesitissimis aerumnis cruciatus, periit. Medicus ante dictus, aliique, qui ei infelici interfuerint, fatum corpori non depleto tribuebant. Cadavere secto, plurimum sanguinis utrique pectoris lateri subesse conspiciebatur. Utrinque pulmo cruore onustus notas inflammationis intima penetralia adortae ostendebat. Cruor atriis pulmonis inclusus laete rubebat. Jecur inflammatum fuisse videbatur. Lien ampliatus sesquilibram pendebat, sanguini coacto haud absimilis, et mollior aliquanto quam fert natura. Intestinum *ileum* hic illic pari ratione inflammationis prioris signa sibi praeferebat. Aeger antea febre intermittente laboraverat, quam viscera inflammari coeperint; quam ad causam lienis, et fortasse je-

cinoris malum referendum. Dolor aliaque indicia molesta, aegro adhuc spirante, pectori fere soli insederant. Paucis horis post extremum spiritum cadaver patefiebat: fibrae cordis motrices inspectae et incisae praeter naturam pallere, et fabricae solutae reperiebantur. Quidam medici navales clarissimi, qui inter cadaver scrutandum adessent, asserere haud dubitabant istum miserum ob venas non depletas succubuisse. Quamplurima exempla ejusmodi citare licet.

Vir ingeniosus jam memoratus historiam quoque mecum communicavit cujusdam *pneumonia* affecti, qui anno MDCCCXII apud valetudinarium Haslaranum obiit, abscessu grandissimo pulmoni inhaerente. Iste infelix non prius, relicta nave, ad valetudinarium traductus fuerat, quam inflammatio confirmata vix ulli arti divellenda sit facta. Venae non ineuntibus malis fuerant depletae; ideoque medici valetudinario praepositi perperam sanguinem mittebant. Hic aeger juventa florebat vegetus; inflammatio quam celerrimo passu procedebat. Latus

dextrum pectoris compluribus puris libris scatebat; quod septo transverso innixum ejusdem faciem inferiorem convexam, secus atque fert natura, reddiderat. Eidem lateri pulmo penitus exesus vel resorptus evanuerat, id quod cavo vacuefacto et ope spongiae deterso satis patebat. Alterum pectoris latus integerrimum nihil omnino vitii exhibebat.

Medicus * quidam solertissimus et peritissimus, cognito exemplo jam dicto *Pneumoniae*, meo amico supra relato dixit, pulmonem dextrum non prorsus evanuisse verisimile esse; sed insigniter extenuatum, pressum et lapsum in summa et postica pectoris parte latitasse, non nisi studio acerrimo quaesitum detegendum: eoque se inductum fuisse, qui ita opinetur, quod sibi ipsi inter medicinam faciendam exemplum istiusmodi videre acciderit; scilicet, pulmonis deleti, uti initio videbatur: re tamen sedulo perpensa, maximeque in mente habito notas sanguinis e vasis ruptis profusi prorsus defuisse, se

* Andreas Duncan junior, M. D. Pol. Med. in hac Academia Professor.

postea, exemplo consimili observato, cadaver patefactum multo accuratius introspexisse: et exinde pulmonem deprehendisse, satis integrum, id est, non rosum aut dirutum; at perexiguum, collapsum, nec nisi acie summa discernendum. Quoties exempla hujusmodi eveniunt, *pleura* pus secernat, necesse est: qualem sane alicubi corporis actionem frequenter reperire licet.

DE CAUSIS.

Coelum frigidum, humidum, varium, maximeque ex calido derepente frigidum, hyems, ver, praesertim in Britannia, quibus anni tempestatibus Eurus et Aquilo perflant, inter causas excitantes valentissimas habenda. Nulla sane frigore frequentior, quod sudore suppresso et sanguine intus impulso hunc facessit morbum. Opportuniores sunt validi, fibris motricibus rigidioribus et firmis praediti, nondum aetatem mediam transgressi; carnibus porro conditis, aliisque cibis

opiparis vesci, et liquores meracos nimium potare soliti; id est, gulae vinoque dediti; simulque plurimum sub dio exercitati. Neque vero sanguine pleni et fortes soli inflammationi propositae patent: persaepe enim aegrotant eadem annis fracti, certeve ad senium jam vergentes. Aetas media prae juventa, pueritia et senectute, ei favet; maresque procliviores sunt, quos adoriatur, quam foeminae. Quinetiam, nisus vehementes musculorum, qui spiritui inserviunt, inter vocitandum, canendum, &c. necnon pectus ipsum natura angustius, huc pertinent. Quanto saepius jam afflixerit haec inflammatio, tanto facilius renascitur.

Pneumonia aliquando vulgaris grassatur, vel *epidemice*, uti medici aiunt. MORGAGNIUS, vir fide dignissimus, exinde contendit aëris quendam circumflui habitum hoc efficere: alii pestilentem crediderunt. *Rheumatismus*, *Podagra*, *Cynanche Trachealis*, *Hepatitis*, aliique viscerum abdominis morbi in inflammationem propositam abierunt, *metastasi* scilicet facta. Quaecunque denique *Synocham* inferant, pulmonem inflammare possunt.

DE DIAGNOSI.

QUUM jecur pulmoni dextro conterminum est, inflammatum quaedam habet signa, quae *Pneumoniam* quoque denuntiant. Dolor autem, jecore inflammato, premente manu intenditur, et ad summam humeri dextri partem ascendit: quae notae pulmoni affecto desunt. Jecinore laborante, in latus sanum, pulmone, in latus affectum cubare difficilius est. Nausea, vomitus, singultus, summa cutis et oculi lutea, dejectiones fere albidae, quae jecori inflammato adsunt, *Pneumonia* vexatos non torquent. Dolor, *Hepatitide* urgente, lateri dextro abdominis fere semper insidet: *Pneumonia* autem exardente, alterutri laterum pectoris subesse potest. Huc accedit, sanguinem missum *Hepatitide* aegrotantibus subviridem esse videri, tussimque, eadem plectente, non inter alte inspirandum exasperari: praeter alia indicia, quae hic notare vix opus est.

Pneumonia a *Peripneumonia Notha* hisce notis discernitur. Haec scilicet stupore, vertigine, capitis dolore immani, dormiendi cupiditate, motu arteriarum, teste LIEUTAUDIO, exili et debili, sensuque ponderis et molestiae quodam, potius quam doloris acuti, denunciatur. Praeter haec, eadem aggredi consuevit annis, ebrietate aliundeve fractos; imbecillos et ad aquam intercutem proclives.

Modo morbus, quem prosequor, *Catarrhum* eo simulat, ut vel peritus decipiatur: haud raro sane haec duo valetudinis adversae genera eidem corpori simul accidunt. Eo minoris refert dijudicare posse, quod utrumque eandem medendi rationem postulat. Gravedo, distillatio, sternutatio, oculi rubriores et lachrymantes, vox rauca, et sputa crebra, &c. *Catarrhum* non *Pneumoniam* denotare satis intelliguntur.

Quod ad *Hydrothoracem*, multum hic hydrops *Pneumoniae* distat, vix aut ne vix quidem medicum solertem falsurus. Hydrope pectoris vexa-

tis vultus angorem vix tolerandum ostendit, pallidus, demissus, interdum tumidus, labris purpureis: dolor nonnunquam brachiorum alterutri aut utrique, alias torpor evenit. Iisdem nisi erectis, vix anhelare licet; et brachia figere solent, quo musculi pectorales respirationi auxilientur. Denique, sensus spiritus mox intercludendi, mortisque instantis crebro opprimit. Quibus perpensis, haud errandum erit.

Pneumonia Asthmati eo distat, quod integritatibus interjectis, hoc modo accedit, modo quiescit: subitoque, media fere nocte, primò somno soluto, invadit, mane decessurum: idem porro vultus ratione, spiritu haud citra sibilum accepto, aegroque aurae purioris, vel perflatus appetentissimo, indicatur.

Interdum inflammatio, de qua agimus, *Pleurodynen*, id est musculos pectoris *Rheumatismo* tentatos, tantum simulat, ut vel expertus ludatur. Utroque horum malorum tortos spirandi difficultas gravis, dolorque inter spiritum trahendum intentior cruciant. Quos vero *Pleuro-*

dyne male habet, iis dolor ambulando omnigenoque motu vel levi exacerbatur, et fibras musculorum permeat; partes dolentes frequenter rubent; dolor non assiduus subinde quiescit: tussis vel nulla vel sputi expers. Quinetiam, hoc malum et *Rheumatismus* artuum vicissim occupare feruntur.

Dolor et ardor, circa ventriculum, manu opprimente et ingesto quovis, vel mitissimo exasperata; vomitus, singultus, suspiria, vires resolutae, delirium, et motus arteriarum duri et exiles, satis *Gastritidem* a *Pneumonia* dignoscunt.

Diaphragmitis cognoscitur dolore quodam urgente marginibus septi transversi infixo, sensu pectoris imi quasi fune arctissimo circumlati, delirio, risu *sardonico*, et tussi sputi egena: quae notae vetant, quo minus pulmo inflammari habeatur.

Multa *Carditidi* cum *Pneumonia* sunt communia: quaedam tamen illi propria existunt;

qualia, cordis actio et arteriarum abnormis, animae defectio crebra, angor quaesitissimus. Huic arteriae non nisi jam inveteratae inaequaliter saliunt.

Verminatio signa *Pleuritidis* intulit; si fidendum Sauvagesio et Burserio, qui de *Pleuritide Verminosa* scripserunt. Haec vulgaris instar pestilentis morbi dispersa esse fertur, non nisi dejectis verminibus tollenda. Quos verminatio enecuit, iis incisis cadaveribus, pulmo indicia inflammationis praegressae prae se tulit. Causa vix sagacem latebit; scireque licet *Pleuritidem Verminosam* infantes potissimum adoriri.

Townsendius apud librum, de medicina practica scriptum, meminit ventriculi inflationem et dolorem *spasmo* ortum eo pulmonis inflammationem retulisse, ut aliquando medici perperam hanc subesse, judicaverint; et sanguinem, haud citra summum vitae discrimen, miserint. Satis est hic notare, dolorem *spasmo* oriundum semper manu opprimente intendi. Quod si dubitare licerit, huc accedit, febrem fere deesse; motus arteriarum duros non esse; de-

nique, dolores, quos *spasmus* aut inflatio gignit, continentes non esse.

DE SIGNORUM RATIONE.

In animo est, signis levioribus praetermissis, non nisi graviorum rationi insistere.

Dolor pleuritide urgente acutus, peripneumona, obtusior.—Membranae, quae costas obducit, nervi quam plurimi, scilicet *dorsales*, insperguntur; quibus caret altera pulmoni circumjecta. Illi igitur inflammatae contingit sensus quaesitior, ideoque dolor accenditur longe acutior.

Dolor spiritu accipiendo auctus.—Inter inspirandum utraque membranarum extenditur, et pulmo ipse amplificatur; quo fit, ut omnes partes inflammatae perquam irritentur.

Dolor manu premente nihilo saevior est, eo quod costae musculique iis interjecti vetant, quo minus opprimi possint pulmo et ejus membranae.

Dolor homine in latus affectum cubante acuitur, quia inter haec pulmo sanus alterum inflammatum gravat.

Spirandi difficultas.—Non solum propter dolorem, piget aegrum alte spirare, verum etiam, *Peripneumonia* torquente, cavernae telae reticulatae pulmonis propriae lympha secreta, nec raro cruore effuso oppletae, animae canales et vesiculas aëre probe distendi non sinunt. Hinc porro non solum spiritus aegre trahitur et emittitur; sed quoque sanguine pulmonem tarde et difficulter permeante, vultus persaepe rubet et intumescit.

Tussis.—Membrana animae fistularum intima, inter principia, deficiente pituita, justo siccior est, ideoque irritabilior. Hinc, ob consensum, quo eadem et musculi pectoris invicem

consociantur, aëre illam exasperante, hi ad actionem abnormem, qua tussis continetur, incitantur. Morbo ingravescente, tussis, latice intus effuso, gravior fit.

Difficultas cubandi in latus sanum urgente vomica vel empyemate.—Quoties aeger in partem sanam decumbit, pus intus altera inclusum gravi nutu *mediastinum* et integrum pulmonem opprimat, necesse est; unde spiritus multo difficilior.

Labra purpurascunt, et spiritus trahitur et emittitur crebro, difficulter nec sine strepitu, humore in vesiculas spiritales profuso; quod exinde non licet aëri circumfluo sanguinem salutariter mutare; meatusque animae minus aequo fit illius capax. Quinetiam, aër et humor inter se quasi mixta faciunt ut strepitus inter anhelandum edatur.

DE PROGNOSI.

De eventu futuro judicandum erit, perspectis aegri aetate, virium ratione, signis; quinetiam, cognito medendi modo jam adhibito, prout auxilia medicinae idonea tempestive fuerint data, aut praetermissa: Interest quoque, alius necne morbus malignus vel pestilens huic inflammationi accedat.

Is fere salvus fore judicandus, cui pituita crassa, opaca, albida aut subflava, pauloque sanguinis tincta, et multa, ex facili exscreatur; cui febris inclinatur, spiritus expeditior: cui sanguis e naribus, venis *haemorrhoidalibus*ve, aut mulieri menstrua profluunt; sudor vel alvus profusa accidunt: cui demum cutis summa mature *Erysipelate* aut *Miliaria* efflorescit, abscessus

alicubi apparet, urinaque crassa excernitur, ex qua multum concreti descendit.

In praecipiti contra hominem testantur febris ardentissima, spirandi difficultas summa, ita ut non nisi erecto spirare liceat; vultus tumefactus; motus arteriarum inaequalis; sudor gelidus, non ubique corporis, at praesertim circa pectus et cervicem; dolor vagus, ab uno ad alterum latus pertinens; modo partem initio tentatam relicturus. Huc accedunt sputum exiguum, et difficile, pituitae spumantis et cruentae; anxietas et inquietudo; urina diluta et copiosa; stupor; delirium; sputa derepente crebra et perexigua. Quae omnia infelicem periturum saepius denunciat.

Frequenter *Pneumonia* sua sponte, alma natura pene unica medicatrice, resolvitur. Veruntamen multo saepius, nisi medicus ope summa et inter principia renitatur, increscere pergit, et usque ad diem decimum, duodecimum, vel quartum decimum non raro trahit, potius pertinax quam acuta: si praeter haec, membra crebro

inhorrescunt, suppuratio metuenda. Haec in fatum, an salutem recidivam sit desitura, indicabunt corporis indoles, habitus et signa. Metuendum erit, si, dolore mitescente, tussis et spirandi difficultas acuuntur; si sputum quiescit; si aeger facilius in latus affectum cubat; si motus arteriarum citiores fiant; si febris vesperi exardet, matutino tempore decedit; summaque cutis noctu sudore diffluit. Haec enim febrem *hecticam* quaesitissimam, extenuaturam, infirmaturam, et demum occisuram, arguunt.

Gangraena proculdubio pessimus est omnium hujus morbi eventuum; quam raro evenire felix est. Si quando supervenit, latici aut cruori intus effuso fere adjungitur. Hanc venturam suspicamur, si venis rite vacuefactis aliisque remediis ministratis inflammatio parum cesserit: jam vero accessisse notant dolor ex improviso quiescens, citra sudorem, urinam, alvum biliosam, cursum sanguinis, aut aliud quodvis profluvium JUDICATORIUM, sive CRITICUM, ut aiunt; vires dilapsae; pulsus arteriarum imbecilli, citissimi et inaequales; vultus ex rubro vel purpureo

expallescens; sudor gelidus. Quodsi his adjiciantur nervorum distentiones, tremor, singultus; si tendines artuum manui impositae subsilire quasi sentiantur; miserum jam abripiendum esse constat. Quod ad cruorem aut humorem effusum, luctuosissimum profecto exitum, cognoscitur spiritu crebro, languide nec sine strepitu accepto et emisso, peneque, nisi trunco corporis erecto, intercluso; aliquando aegro prorsum inclinato facilius anhelante; pulsu arteriarum exili, inaequali et celeri, vultuque coeruleo.

QUAE SECTIS CADAVERIBUS DEPREHENDANTUR.

NOTAE inflammationis praegressae, patefactis cadaveribus, pulmoni, membranae ejusdem exteriori, aut *pleurae* costarum contingere reperiuntur. Aliquando cavernae telae reticulatae cruorem aut lympham effusum continent: mo-

do latex aquosus *pericardium* aut *pleuram* costarum distendere observatur; alias humor lacteus aut sanguine tinctus. Pulmo et ramuli asperae arteriae non raro pure subviridi obturantur. Frequentissime *pleurae* alicubi praeter naturam cohaerent.

Pulmo inflammationem acerbam passus compagem sibi densiorem praeferre, saturioris esse coloris, et jecur quod ad fabricam et dotes oculis evidentes, simulare fertur.

DE MEDENDI RATIONE.

Unicum consilium omnia remedia ministranda complectitur: hoc est, inflammationem quam celerrime tollere. Misso sanguini potissimum innitendum: saepe id genus exinanitionis solum quam primum hanc inflammationem fugavit. Per hiatum amplissimum sanguinem profluere

oportet; nec prius ejus cursus arte cohibendus est, quam signa inclinari coeperint, animave defectura videatur. Satius est copiam magnam principio educere, quam crebro minorem detrahere: quum enim vasa non facultate pollent se moli plurimum et repente imminutae statim accommodandi, celeriter vacuefacta plus quam pedetentim depleta collabuntur. Res est notissima uncias x sanguinis, permagna incisura citissime profusas, vel robusto *syncopen* facilius illaturas, libris II aut III lentiori passu emissis.

Perraro satis est semel venas exinanire: imo vero intra unum diem, saepe bis terve id fieri debebit. Siquidem porro febris et inflammatio vesperi exardent, eo tempore venae optime deplentur. Medicus quidam mihi amicissimus antea * memoratus, cuidam *pneumonia* vexato uncias sanguinis XXXVI eripuit, vena brachii incisa; id exactum animae defectio protinus excepit: inflammatio prius horas XVI permanserat incitatissima; illicoque resoluta abiit.

---

* J. R. Scott, Med. and Phys. Journal, vol. xxvii, p. 94.

Quantum sanguinis mitti oporteat, erit judicandum, perspectis aetate, sexu, corporis indole, arteriarum pulsu, inflammationisque indiciis, prout haec leviora sint aut graviora. Plerisque *pneumonia* acuta et signis evidentioribus designata implicatis, initio sesquilibra sanguinis elicienda: aliquando non opus erit amplius sanguinis mittere. Quidam intra tres quatuorve dies, quatuor vel quinque libras sanguinis impune, imo vero utiliter, abstrahi sustinent. Praecepta autem perpetua de venis exinaniendis ferre non licet; siquidem notarum ratio, natura febris simul vulgaris grassantis, et alia istiusmodi, quousque et quoties sanguis educeretur, docebunt. Scire quoque licet, quanquam sanguini detracto, principi remediorum, fidendum sit, tamen certos esse limites, quos ultra metu vacare nequit; ideoque cavendum, et omnia esse circumspiciendum. Venae tutius et efficacius ante diem tertium vel quartum ex inflammatione incoepta, quam serius, feriri solent. Veruntamen, hoc lege certa eo usque caret, ut nonnunquam, vel quinto, sexto die, aut serius, in-

flammatione saeva, nec viribus fractis, easdem vacuefacere deceat.

Quoties *typhus* pulmoni inflammato adjungitur, salus non expectanda, nisi hoc viscere mature expedito, venis nimirum rite depletis. Undecunque pulmonis vasa praeter naturam oppleantur, quum ejus officio integro opus est, quo vitae flamma rite alatur, eadem protinus exonerare oportet. Neque *typhus* inflammationi accedens medicum a sanguine mittendo recte deterret. Sine dubio cauta manus adhibenda: nosse tamen juvat, inflammationem pulmonis eo exinanientia desiderare, corporibus imbecillis, quod haecce prae vegetis ei succumbunt. Hirudines quoque vel cucurbitulas cum ferro summae cuti proxime partem dolentem imponere juvabit; si sanguine jam satis per venam brachii ictam abstracto, inflammatio tamen non penitus conquieverit: vel si vires languentes venas scalpello vacuefieri non sinunt; id quod urbanis saepe obvenit.

Omnia, quae REGIMEN ANTIPHLOGISTICUM am-

plectitur, servanda, ad devincendam, tum quoque ad praecavendam hanc inflammationem. Incitamenta excludenda: conclave, ubi aeger cubat, perflatum accipere debet: ejusdemque temperies gradu circiter LX^MO instrumenti Fahrenheitani indicanda. Aeger porro stragulis tenuioribus, capite paulo elatiori, velandus.

Exulcerantia plurimum juverunt: at melius est antea sanguinem bis detraxisse, quam *emplastrum meloës vesicatorii* admoveatur: nimirum, febre et incitatione tantum inclinatis, ut praeter modum irritare non possit. Nec vero omnes medici ita sentiunt: JOANNES PRINGELIUS Eques, negat ullo tempore hoc remedium non tuto et utilissime adhiberi.

Quam proxime partem dolentem *emplastrum meloës* applicandum; exiguum esse, et crebro novari oportet.

DE ALVI PURGANTIBUS.—Alvum solutam habere nunquam non permagni interest. *Submuriate hydrargyri* hunc in finem utendum: dein-

de quivis salium mediorum dejectioni moliendae aptorum dandus; alvusque mulcentibus ducenda. Dignum est notatu, corpore jam penitus depleto, spirandi difficultatem frequenter superesse, *spasmo* unico ortam. Quod si ita se habeat, hoc malum aliaque eodem fonte nata *opio* et *aetheri sulphurico* ministratis cedent. Siquidem imbecillitas fibras motrices *spasmo* subeundo aptat, verisimile est vires exinanitione fractas ejusdem causam esse.

Opium, si prius venis depletis, alvo expurgata, et materia aliis modis dempta, febris et spirandi difficultas jam decreverint, optime ad tussim molestam consopiendam datur; praesertim, si medicamina sudoris cientia simul praecipiuntur. Quinetiam, ubi aeger eo corpore depleto infirmatur, ut non tuto iterum vacuefacere liceat, paucae guttae *tincturae opii* quotidie paulo ante accessionem vespertinam concedendae. HAMILTONUS *, medicus spectatissimus apud Lynn Regis artem medendi exercens, *o-*

* Vide Vol. ix. of the Edinburgh Medical Commentaries.

pium submuriati hydrargyri adjectum, in hanc aliasque inflammationes summo profectu ministravit.

Conjicio istam curationem summo metu carere non posse; *opium*que vel per se, vel *submuriate hydrargyri* mistum, insigniter nocere, inflammatione jam substante: siquidem hic succus praepotens omnia secernenda et excernenda supprimendo febrem acuit et intendit.

Denique, uti paucis absolvam, *opium* non parum opitulabitur; ubi, inflammatione jam debellata et sanguine satis detracto, tussis admodum irritat: nemo autem ei, veluti praecipuo auxilio, confidere debet.

Vomitum medicamentis movere, me judice, periculosum est; etiamsi quidam permagni eundem habuerint. Nauseam, citra vomitum excitare, exiguis *tartratis antimonii* modis, saepe proderit, saeviente inflammatione; cor enim et arterias sedat; et fibras motrices omnes lax-

at; eoque *spasmum*, inflammationis comitem resolvit, sputumque et cutis halitum evocat.

Praeparatis ex *antimonio* utendum; duplicique consilio: nimirum, ad sudorem et sputum eliciendum. Nosse sane juvat, quodvis sudoris ciendi potens quoque sputo favere. *Scillae maritimae* radix bene iis jungitur: at vero *ammoniacum* et reliquae *gummi-resinarum* non nisi, fugata inflammatione, ingerenda; quippe quae multum exasperant et calefaciunt.

Si tussis sputi expers tentat, vapor aqua fervente exortus inhalandus; aut quem aqua fervida et acetum invicem mista evolvunt. Eundem in finem pedes aqua tepida lavare, aut tepidario uti, cujus temperies gradu XCVI^TO instrumenti Fahrenheitani indicetur, utile erit. Fertur enim irritationem generis nervosi sedare; et secernenda et excernenda ideoque sputum promovere et summam cutem leni sudore madefacere.

De Hydrargyro.—Quidam contenderunt,

praeparata ex *Hydrargyro* ita concessa, ut humores circumeuntes eo imbuantur, et os saliva scateat, esse adjutura. Novi virum peritissimum, Radulphum Eden, medicum ad navem bellicam "Victory" constitutum, qui hoc acerrimum medicamentum fructu insigni adhibuerit. Ubi classis Britannica, Jacobo Saumarez, Equite, praefecto, apud mare Balticum commoraretur, multi ex nautis ad navem jam dictam pertinentibus *Pneumonia* aegrotabant; et aliqui recte, uti videtur, curati peribant. Deinde medicus jam propositus *Submurias Hydrargyri* ingerere coepit: ita ut secunda quaque hora duo grana praeciperentur, dum alvum expurgaverint. Idem medicus negat ullos obiisse, quibus hoc remedium salivae cursum et dejectionem moverit. Eodem uti coepisse solebat, jam vena brachii semel incisa.

Quantumcunque fidei iis debeatur, qui tantis laudibus *hydrargyrum* prosequuntur, confiteor tamen venam secare, me judice, hominem esse salvum praestare: sanguineque non satis demp-

to, caetera medicinae praesidia et auxilia minimi esse facienda.

Folia *Digitalis Purpureae* summam utilitatem pollicentur: inflammatione jam remissiori et dolore superstite danda: id est, ubi vires nunc exinanientibus lapsae corpus amplius depleri non sinunt: tamen incitationem doloris et tussis, &c. genitricem devinci oportet. Guttae xv *Tincturae Digitalis Purpureae* bis quotidie, aut sesquigranum pulveris foliorum indies sumenda. Si, ob corporis proprietatem, hoc medicamentum nauseam, vertiginem, animae defectionem, sudores gelidos, et alias notas terrentes edat, (quod die fere quarto quintove post idem primo ingestum fieri consuevit,) protinus est praetermittendum, et vires simul vino, *alcohole aethere*ve *sulphurico* refocillandae.

Denique, curatio *Pneumoniae* satis est simplex. Istae voces "deplendum, idque celeriter," eam complectuntur. Permagni profecto interest, ut sanguis citissime effluat; multo pluris, quam ut moles insignis abstrahatur: cujus rei jam ratio-

nem exponere nixus sum. Quantum sanguinis auferendum sit, edocebunt signa, prout acerba sint aut mitia, aetatis, virium, et corporis ratio; prout homo sit juventa vegetus aut ad senium vergens, robustus, aut imbecillus, quadratus et procerus, aut gracilis. Pauci medicorum sanguinem detractum metiuntur: potius, signis et viribus perspectis, quando satis fluxerit, statuunt. Corpora humana magis equidem opinione vacuefieri impune possunt: incredibile est dictu, quantam molem sanguinis elicitam salus recidiva exceperit. RUSHIUS in libro, cui nomen "Medical Inquiries," complura exempla hujusmodi edidit. GREGORIUS meminit, inter praelegendum, cuidam *Pneumonia* implicato inter horas viginti quatuor uncias sanguinis CXXIII missas fuisse. Iste homo jam nunc, uti credo, integer vivit; nemo, ni fallor, *Pneumonia* laborantium unquam tantam exinanitionem tantulo spatio temporis subiit. Non affirmo semper opus esse immanem copiam abstrahere; verisimile est enim perexiguum modum subito ademptum plus opitulari, quam ampliorem et lentum rivum profusum. Exempla tamen hujusmodi eo sunt uti-

lia, quod clare testantur plurimum sanguinis impune abstrahi posse. Unciae LX saepe, non raro XCVIII missae sunt. * BIRNEIUS cuidam febre flava vexato venas adeo vacuefecit, ut unica vice unciae CX proruperint; aeger paucis diebus revaluit. Quicquid demum, saeviente *Pneumonia*, fiat, mature facto opus est.

---

* Georgius Birnie, Armiger, ad navem Regiam "Scamander" medicus, qui cum viro mihi amicissimo Scott, id exemplum febris flavae insigne, literis publice mandandum, communicavit.

KING'S COLLEGE LONDON

FINIS.